

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber  
specialis gratiae**

**Mechthild <von Hackeborn>  
Mechthild <von Magdeburg>**

**Pictavii, 1877**

Caput VII. De anima fratris n. de ordinis praedicatorum.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](#)

## CAPUT VII.

DE ANIMA FRATRIS N. DE ORDINE PRÆDICATORUM.

**P**ost obitum Fratris N. Ordinis Prædicatorum, qui familiaris et fidelis amicus fuerat Claustr*i*<sup>1</sup>, infra dies octo anima ipsius hoc modo illi est revelata. In Missa itaque vidit animam ejus in aere calceatam calceis valde ornatis, ita ut quæ hæc videbat, optaret sibi de ornatu calceorum illorum aliquid dari. Cui ille : « Accipe gemmam patientiæ. » Hæc calceamenta signabant labores itinerum quos in Ordine habuerat. Et vocans eam proprio nomine ait : « Eia, eia, qualia me celastis, ecce nunc scio. » Tunc illa : « O Domine ora pro nobis. » Et ille : « Noli me vocare *Domine*, sed *Frat*er; quia omnes in Christo Fratres sumus. » Et illa : « Ora, quæso, pro nobis, ne seducamur ab inimico in dato nobis dono<sup>2</sup>. » Cui ille : « Induite vos armaturam fidei, sicut electi Dei; scilicet, ut vere et pure credatis illud ex Deo esse. »

Cum vero perventum esset ad Offertorium Missæ, audivit vocem dicentem : « Patefactæ sunt januæ cœli. » Et vidit quasi permaximam portam festinanter aperiri, qua intrabat anima prædicti Fratris cum inæstimabili jucunditate. Cui Dominus expansis occurrens manibus, suscepit eam in ulnis, deducens usque ad thronum gloriæ, statuit eam coram se, et induit eam miro et ineffabili decore, quale humana non potest exprimere lingua. Inter alia, specialiter dedit illi chi-

De custodia  
doni  
specialis ab  
inimico.

1. Cf. Part. IV. c. 40.

2. Dono, scilicet, revelationum.

Stola prima  
est ipse  
Dominus.

rothecas candidissimas in manibus, et calceamenta multo quam prius lucidiora in pedibus, dicens : « Cito proferte stolam primam. » Quam stolam facit Dominus de seipso. Et in hoc agnovit qualiter Deus est vestis animæ, quia sicut omnium gratiarum est auctor et largitor in terris, ita est etiam Beatorum ornamentum, gloria et merces copiosa in cœlis, ornans eos ex semetipso et remunerans pro omnibus bonis operibus et virtutibus in terra peractis. Deinde impo-sita est ei corona permaxima ex auro rubeo et gemmis pre-tiosis, quam accipiens cecidit super pedes Domini gratias agens, et recognoscens quia hæc omnia sola Dei bonitate et non suis meritis accepisset.

In claritate  
Soror  
Mechtildis  
apparet.

Tunc illa scire desiderabat quid inde meruisset quod donum Dei tam fideli corde in sorore Mechtildi<sup>1</sup> dilexisset. Et vidit effluxum quemdam de Corde Dei manantem speciali modo in animam ejus; quem etiam influxum cognovit dari omnibus qui donum Dei speciale in aliis amant, licet in se-ipsis non acceperint. Et statim apparuit soror Mechtildis in magna lætitia ineffabili gloria et claritate circumdata. Cui hæc admirans ait : « Fac me, quæso, aliquid de ornatu tuo agnoscere tam ineffabili. » Quæ respondit : « Non poteris comprehendere, quia multipliciora sunt ornamenta mea quam in aliquo vestimento terreno sint fila intexta, et hæc omnia gratis accepi a Domino meo sponso. » In quibus verbis cognovit quod Sancti nihil attribuunt sibi de suis meritis, sed totum quod possident meriti et gloriæ, miseri-cordiæ et gratiæ ascribunt divinæ.

1. Cf. Part. II. cap. 42. item, S. Gertrudis, Lib. V. c. 7. *Donum Dei* hic accipitur pro gratia revelationum, ut supra.